



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.





MEMORIAE

IACOBI ANDREÆ
SCHMIDELINI, COG-

NOMENTO VOLATERRANI, A-
postoli Ubiquitatis, hostis blasphemi veritatis &
gloriæ Filij Dei, ac persecutoris crudelis-
simi Orthodoxorum,

EPITAPHIA ALI-

quot nuncupata

à

PROFITENTIBVS NOMEN

Christi Θεανθρώπου.



Anno 1590.

20.
28

5
P S. 125.

*Tu bonis faue Deus,
Corde tu puros iuuas.
Callidos autem, pede
Claudicantes lubrico;
Cum scelestis o Deus
Puniendos ducito.
Pace verò fac tuus
Perfruatur Israël.*

EPITAPHIA ALIQVOT

IACOBI ANDREAE SCHMIDELINI,
cognomento Volaterrani, Apostoli Ubiquitatis, hostis
blasphemi veritatis & gloriae Filij Dei, ac persecutoris
crudelissimi Orthodoxorum.

Πολλὰ φαγῶν, πίνων θ' ἅμα, ψευδόμενος δ' ἔτι πλείων,
Σὺς ὄρων ὡς δ' ἀγροῖος πλείω καὶ εὐσεβείας.
Λοιδόρειον τε μάλιςσι θεόν, τέκτων ὁ Σέηβος
Ἐν τῷ τῶν μάρτυρων γαστέρι. Σῆκε τάφω.
Τῷ ψυχῶν ἄθεον. Βροτολογεῖ τ' ἔμπλεον ἔχθρας,
Ὡς δῶκεν, δαίμων ἤρπασε, κευθμὸς ἔχει.

Id est:

Mlti vorans, et multa bibens, mendacia spargens
Plura, pios vastans instar agrestis apri;
Atq; Deum lingua ladens, Faber ille Suenus
Ingluuiem ventris condidit hoc tumulo.
Plena simultatis fuit huic anima impia dira;
Cui dedit hanc, Satanas abstulit; Orcus habet.

ALIVD.

Conditur hoc tumulo IAMBRAE fratercu-
lus, autor
Sphingis, Bergenses quam genuere Patres.
Carnem, Christe, tuam ventris qui fecerat escam;
Qui scelerum consors Iscariotis erat.

A 2

Ele-

Electos reprobis, cœlum qui miscuit Orco;
Qui Satanam ciuem tradidit esse poli.
Qui varia sanctos vexavit fraude, doloq̃;
Spurcitie follis, nequitiaq̃, faber.
Impostor, mendax, auri captator & aura;
Deceptor procerum, garrulus, arte rudis.
Cui nec sacra fides, nec mens erat integra, corpus
Pollutum vitijs, turpe libidinibus.
Zelus hypocriseos sceleri pratexier effrons:
Poneret ut laqueos, ingeniosus erat.
Vix Geticus mage, Christe, tuos afflixerit agros,
Eheu quàm ferus hic depopulator, aper.
Summus qui fuerit labor, accipe: rodere cœpit
(Horresco referens) biblia scripta Dei.
Quid lupus intactum linquat, cui sancta Iehous
Non satis à morsu pagina tuta fuit?
Haud locus in cœlo super huic: nec enim locus illi
Cœlum erat; ergo scelus claustra tenēt Erebi.
Vidi ego spirantem plenis mendacia buccis;
Praterij querens; ille ubi? nullus erat.
Ah miser, etsi quis sustollat ad aethera cristas:
Quod tamen in Christum suscipit, omne ruit.
Victrix causa Dei est; iacet hostis, hypocrita, Sueuus:
Sub cruce grex Domini Victor inermis ouat.

Aliud.

NON cælo capitur, cælum qui sustulit omne,
 Non Orco, cui non Orcus & ipse fuit.
 Sed cæno recubat, cæno cui nuper in omni
 Corpus erat, porci quolibet inq̄, fimo.

Discere nomen aues? impuro nomen Agyrta,
 Candida quo vanum non mage vidit Eos.
 Huius ab ore Satan fraudum connexuit hamos,
 Aggressus proceres illaqueare dolis.

Huius ab ore Satan conuicia dira profudit,
 Aggressus summo dicere probra Deo.

Ars huic in cunctas rerum se vertere formas,
 Nunc imbelle pecus, nunc erat hirtus aper:
 Ut gravidam erueret tenero cum palmitē vitē,
 Quam dextra Christus seuerat ipse sua.

Hæc est (nominibus sua si præfagia constant
 Et numeris) hæc est bestia saua, procax:

Cornua qua gestans agni, genus omne coëgit
 Ferre suam manibus, scribere fronte notam.

Quaq̄ recusantes, patria domibusq̄, vagari
 Extorres, inopes heu laris, ignis, aquæ;

Carceris aut clausos tenebris, & fornice nigro,
 Compulit erepto Sole videre diem.

Nunc ergò sua facta luit, vagus, exul Olympo,
 Supplicijs Orcum nec negat esse suis.

A 3

San-

Jacobus An-
 dreas Volaterranus.

DCLXVI.
 num. bestia.
 Apocal. 13.

Sanguinis en reus innocui, quem fudit Abelus,
Fudit Abeligenum quem generosa cohors.
Quam Papa furij obiecit iudice libro,
Irenes nomen cui dedit, auctor Eris.

ALIVD.

Pandora pater Vtopia volitavit in oras,
Pandora o utinam transuolet ipsa simul. (bras
Trasuolet ipsa simul: quin et prius iuit ad um-
Quam faber Vtopia, quam sua nescit humus.
Ergo impunis abit sicca sic morte tyranni,
Sic obijt sicca Galla Megera nece.
Scilicet indignos poenis leuioribus, atra
Plectendos seruant Numina iusta Stygi.

ALIVD.

Quod Tamerlanes mundo fuit horridus armis,
Offensi flagrum virgaq; stricta Iovæ:
Illud Schmidlinus lingua crudelibus ausis
Sancta Ecclesiole, Christe, erat omne tua.
Quam tibi delectam, Latijq; a fraude Tyranni
Assertam, in magno Teutonnis orbe foves.
Huic, quia divini semen mala nausea verbi
Laserat, efflicti plurima damna dedit.
Viq; aper est segeti clades, ut vitibus hircus,
Ut contagio gregi, fungus ut arboribus:

Sic

Sic aruscator Suenus gelidissima pestis
Germanis, sacris agminibusq; fuit.
Dogma serens falsum, depromptum ex Eutychis ore,
Quod Christus vera sit sine carne caro,
Et quod eà, Deus ipse velut, sit ubiq; locorum:
Quin talem in cœna tradidit esse sacra,
Carnem non carnem: corpus, quod corporis expers
Natura, cerebri somnia vana sui.
Prodigus hinc lingua fit circumcellio turpis,
Aulas perfricta fronte latenter adit.
More & serpentis primò convertit in Evam
Astuti ingenij callida tela sui.
Hac expugnatâ rigidus post cecidit & Adam,
Pomum Eridis subito regnat ubiq; nova.
Carceris hinc horror, fuga, egestas, probra, minaq;
Horrenda, & Pathmi vincula parata pijs.
Cum nolent dare colla iugo, male sana perosi
Dogmata, cernentes & sibi verba dari,
Quando operi instabat diro Vulcania proles,
Cudendo indignum nomine, luce librum.
Qui scindens pacem Christi, Concordia voce
Mendaci dictus non sine fraude fuit.
De quo Christi adùm Boreali Regis in orbe
Summi quondam, extat vox generosa sono.

Concio funebr.

Frideric. II.

Reg. Dania.

Vox

Sic



Vox vera, atq; iuris ponenda in sensibus, ut qua
 Depingat cladem, grex sacer, una tuam:
 Quam tantam, heu nobis nunc irreparabile damnum,
 Eutychnianismus Pantichicus dederit:
 Ut si, Divertant aliter, Germanidos oras
 Trux Geta complexset milite fortè suo,
 Depopulator agri: tamen haud Ecclesia damni
 Tantum passa mali per media arma foret.
 Prestitit hac ausis sceleratis Suevica Erinnyis,
 Quando Schmidlinus Papa colendus erat.
 Sustulit hanc furiam postquam tua dextera, Christe,
 Abijciens virgam, qua prius usa fuit
 In natos, canimus tibi lato carmine laudes,
 Devotaq; tuam mente precamur opem,
 Ut, quibus eripuit Sphinx hac oculosq; animosq;
 Nunc redeat sanis intemerata fides.

Ad Iambren Iannæ Fr. ἠγορευτὴν.

VNC abiturum, Iambre, accelera, dum dedit
 fratri

Non vacat in pœnas infera turba tuas.
 Tisiphones dum fessa manus, dum flagra, facesq;
 Torpent, & lasi vulturis unguis hebet.
 In te namq; recensruet hinc exercitus Orci,
 Si paulum lenta morte moratus eris.

Eugenius Rogerius Bergomas.

Nov 1996

8

V

ULB Halle 3
 002 063 808




nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 / 1996 /

V B 17


M

DX



Farbkarte #13

B.I.G.



MEMORIAE

IACOBI ANDREÆ
SCHMIDELINI, COG-
NOMENTO VOLATERRANI, A-
postoli Ubiquitatis, hostis blasphemæ veritatis &
gloriæ Filij Dei, ac persecutoris crudelis-
simi Orthodoxorum,

EPITAPHIA ALI-
quot nuncupata

à
PROFITENTIBVS NOMEN
Christi *Ἰεσου Χριστοῦ.*



Anno 1590.

20.
28

